

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Initia doctrinae physicae

Melanchthon, Philipp

Francoforti, 1550

VD16 M 3471

Alia diuisio

urn:nbn:de:bsz:31-106565

LIBER II.

opus est refutatione. Verum est enim etiam formas
substantiales habere partes seu gradus, & paula-
tim plures gradus acquiri, ut in generatione arbor-
is, aut bouis. Horum generationes etiam successiuæ
sunt, ut aliorum motuum. Idq; defendit Auerrois.

Dic diuisiones Motuum.

Alia per se mouentur, alia per accidens. Per se
mouentur, quæ propriè & principaliter acquirunt
terminum motus. Ut generato homine, substantia
generatur per se. Accidens per accidens, id est, ha-
rent in eo, quod generatur, nec sunt principalis ter-
minus generationis.

Ceterum non uno modo, sed multipliciter dicun-
tur res moueri per accidens, ut in motu Locali, cum
per se mouetur totum, pars mouetur per accidens,
ad motum totius. Contentum mouetur per acci-
dens, ad motum continentis, ut sedens in Naui, quæ
impulsa in aquis uehitur. Cum morbus curatur, ut
cruditas in uentriculo, simul curatur per accidens
symptoma, ut uigilia. Facta alteratione in uentricu-
lo, ut rursus concoquat, & emittat suaues halitus,
hi in cerebro postea etiam somnum efficere pos-
sunt.

Alia diuisio.

Valde utilis est diuisio, qua Motum distribuimus
in Naturalem, Violentum, & Animalem.

Naturalis est, cuius causa est principium in-
ternum, uidelicet, ipsa natura inclinans ad eum mo-
tum.

rum. Sic & usitate dicitur, Motus naturalis est, qui fit à principio interiore conferente uim passo, id est, conferente inclinationem mobili. Suprà enim dictum est, omnibus corporibus competere suos motus, & naturam uocari illam ipsam inclinationem ad certos motus. De hac specie Regula est: Motum naturalem esse uniformem, sicut graue semper deorsum fertur. Ignis semper calefacit.

Quòd autem dicitur, Motus naturalis est initio remissior, & in fine uelocior, intelligi debet de motu Locali, ut grauia in aëre, quia magis, magisq; pellunt aërem, in fine mouentur uelocius.

Violentus motus est, qui est à principio externo, non conferente uim passo, id est, non conferente naturalem inclinationem mobili. Adeo enim mobile non habet inclinationem naturalem ad cum motum, ut resistat etiam impellenti: ut cum Lapis sursum projicitur.

De hac specie dicitur, uiolenti motus accidere uariis corpori multiplices possunt. Ut Lapides sursum projici, aut in gyros circumagi, aut uarie in plano uolui possunt. Item, Motus uiolentus initio uelocior est, deinde paulatim fit languidior.

Animalis motus est, qui oritur à principio interno, sed non conferente uim passo, id est, non conferente naturalem inclinationem mobili. Nam in animalibus regitur motus à principio cognoscente, quod imperat motum neruis, suo quodam modo.

Nes

LIBER. II.

Nec nervis inseritur aliqua vis à principio cognoscende. De hac specie regulæ sunt: Motus animalis non est uniformis. Item, Motus animalis initio remissior est, in medio fortior, calefactis iam nervis, & excitatis spiritibus, in fine fit languidior, videlicet, consumptis iam spiritibus.

Vnde sumitur motuum contrarietas?

A terminis ad quos. Nam hi motus contrarij sunt, qui sunt ad terminos contrarios acquirendos, ut motus qui est ad caliditatem, contrarius est motui, qui est ad frigiditatem. Motus solis, qui est sursum à Capricorno ad Cancrum, contrarius est motui, qui est deorsum à Cancro ad Capricornum.

Sunt ne unus motus, Actio & Passio?

Et si ociosa subtilitas esse videtur, querere, an unum quiddam sint actio & passio, tamen aliquid concludit ad declarandum, quid sit motus. In verberatione faciei una res est, receptio ictus, seu ipse sensus partis percussæ, & actio percutientis. Sed differunt terminis & relationibus. Actio, seu percussio actus oritur ab agente, & desinit in recipiente. Contra passio relatio est patientis ad agens, sed tamen unus & idem ictus est. Ita in alterationibus, ut in calefactione aquæ, eadem caliditas est, cuius partes paulatim in aquam introducuntur, sed tamen oritur hæc forma ab agente, & à patiente recipitur. Ita differunt actio